

Solem
Planetis
multo
majorem
esse.

Cæterum, in hac planetarum comparatione, notanda est ingens Solis magnitudo, cum interioribus quatuor Planetis collata; utque hi Saturno quoque, ac Jove, longe longeque minores sint. Nam considerandum, non ordine crescere eorum corpora cum distantis à Sole; quippe cum multo major sit Veneris, quam Martis, globus.

Tellurē
Planetis,
& hos
Telluri
recte as-
similari.

His de utroque Diagrammate expositis, nemo, ut puto, jam non videt, quam clare ex priore, in quo systematis est typus, sequatur, eodem genere, cum cæteris quinque Planetis, Tellurem hanc nostram contineri. Nam vel ipsi circulorum positus hoc testantur. Atqui præterea constat, telescopiorum observationibus, & globosa esse omnium corpora; itidem ut Telluris, & à Sole splendorem similiter eos mutuari. Ac denique in hoc quoque ei similes esse, quod in se ipsis circum proprios axes volvuntur: quis enim de cæteris dubitet, cum in Jove & Marte hoc certo compertum sit? Sicut autem Tellus Lunam comitem habet, ita Jupiter & Saturnus suas. Quid igitur tam probabile est, cum in his tot rebus Telluri cum Planetis illis primariis intercedat similitudo, quam non minori quoque dignitate & pulchritudine eos esse, nihiloque minus ornatos cultosque: aut quænam cur hoc aliter se habeat ratio excogitari potest?

Ex simili-
tudine
in hisce recte argumenta peti.

Sane si cui, in dissecti canis corpore, viscera ostenderentur, cor, stomachus, pulmones,